

Prophetia Malachiae

1:1 onus uerbi Domini ad Israhel in manu Malachi 1:2 dilexi uos dicit Dominus et dixistis in quo dilexisti nos nonne frater erat Esau Iacob dicit Dominus et dilexi Iacob 1:3 Esau autem odio habui et posui montes eius in solitudinem et hereditatem eius in dracones deserti 1:4 quod si dixerit Idumea destructi sumus sed reuertentes aedificabimus quae deserta sunt haec dicit Dominus exercituum isti aedificabunt et ego destruam et uocabuntur Termini impietatis et Populus cui iratus est Dominus usque in aeternum 1:5 et oculi uestri uidebunt et uos dicetis magnificetur Dominus super terminum Israhel 1:6 filius honorat patrem et seruus dominum suum si ergo pater ego sum ubi est honor meus et si dominus ego sum ubi est timor meus dicit Dominus exercituum ad uos o sacerdotes qui despicitis nomen meum et dixistis in quo despeximus nomen tuum 1:7 offertis super altare meum panem pollutum et dicitis in quo polluimus te in eo quod dicitis mensa Domini despecta est 1:8 si offeratis caecum ad immolandum nonne malum est et si offeratis claudum et languidum nonne malum est offer illud duci tuo si placuerit ei aut si susceperit faciem tuam dicit Dominus exercituum 1:9 et nunc deprecamini uultum Dei ut misereatur uestri de manu enim uestra factum est hoc si quo modo suscipiat facies uestras dicit Dominus exercituum 1:10 quis est in uobis qui claudat ostia et incendat altare meum gratuito non est mihi uoluntas in uobis dicit Dominus exercituum et munus non suscipiam de manu uestra 1:11 ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda quia magnum nomen meum in gentibus dicit Dominus exercituum 1:12 et uos polluistis illud in eo quod dicitis mensa Domini contaminata est et quod superponitur contemptibile est cum igni qui illud deuorat 1:13 et dixistis ecce de labore et exsufflastis illud dicit Dominus exercituum

1:1 The burden of the word of the LORD to Israel by Malachi.

1:2 I have loved you, saith the LORD. Yet ye say, Wherein hast thou loved us? Was not Esau Jacob's brother? saith the LORD: yet I loved Jacob.

1:3 And I hated Esau, and laid his mountains and his heritage waste for the dragons of the wilderness.

1:4 Whereas Edom saith, We are impoverished, but we will return and build the desolate places; thus saith the LORD of hosts, They shall build, but I will throw down; and they shall call them, The border of wickedness, and, The people against whom the LORD hath indignation for ever.

1:5 And your eyes shall see, and ye shall say, The LORD will be magnified from the border of Israel.

1:6 A son honoureth his father, and a servant his master: if then I be a father, where is mine honour? and if I be a master, where is my fear? saith the LORD of hosts unto you, O priests, that despise my name. And ye say, Wherein have we despised thy name?

1:7 Ye offer polluted bread upon mine altar; and ye say, Wherein have we polluted thee? In that ye say, The table of the LORD is contemptible.

1:8 And if ye offer the blind for sacrifice, is it not evil? and if ye offer the lame and sick, is it not evil? offer it now unto thy governor; will he be pleased with thee, or accept thy person? saith the LORD of hosts.

1:9 And now, I pray you, beseech God that he will be gracious unto us: this hath been by your means: will he regard your persons? saith the LORD of hosts.

1:10 Who is there even among you that would shut the doors for nought? neither do ye kindle fire on mine altar for nought. I have no pleasure in you, saith the LORD of hosts, neither will I accept an offering at your hand.

1:11 For from the rising of the sun even unto the going down of the same my name shall be great among the Gentiles; and in every place incense shall be offered unto my name, and a pure offering: for my name shall be great among the heathen, saith the LORD of hosts.

1:12 But ye have profaned it, in that ye say, The table of the LORD is polluted; and the fruit thereof, even his meat, is contemptible.

1:13 Ye said also, Behold, what a weariness is it! and ye have snuffed at it, saith the LORD of hosts; and ye brought that which was torn, and the lame, and the sick; thus ye brought an offering: should I accept this of your hand? saith the LORD.

Biblia Sacra Vulgata

et intulistis de rapinis claudum et languidum et intulistis munus numquid suscipiam illud de manu uestra dicit Dominus 1:14 maledictus dolosus qui habet in grege suo masculum et uotum faciens immolat debile Domino quia rex magnus ego dicit Dominus exercituum et nomen meum horribile in gentibus

1:14 But cursed be the deceiver, which hath in his flock a male, and voweth, and sacrificeth unto the LORD a corrupt thing: for I am a great King, saith the LORD of hosts, and my name is dreadful among the heathen.

2:1 And now, O ye priests, this commandment is for you.

2:2 If ye will not hear, and if ye will not lay it to heart, to give glory unto my name, saith the LORD of hosts, I will even send a curse upon you, and I will curse your blessings: yea, I have cursed them already, because ye do not lay it to heart.

2:3 Behold, I will corrupt your seed, and spread dung upon your faces, even the dung of your solemn feasts; and one shall take you away with it.

2:4 And ye shall know that I have sent this commandment unto you, that my covenant might be with Levi, saith the LORD of hosts.

2:5 My covenant was with him of life and peace; and I gave them to him for the fear wherewith he feared me, and was afraid before my name.

2:6 The law of truth was in his mouth, and iniquity was not found in his lips: he walked with me in peace and equity, and did turn many away from iniquity.

2:7 For the priest's lips should keep knowledge, and they should seek the law at his mouth: for he is the messenger of the LORD of hosts.

2:8 But ye are departed out of the way; ye have caused many to stumble at the law; ye have corrupted the covenant of Levi, saith the LORD of hosts.

2:9 Therefore have I also made you contemptible and base before all the people, according as ye have not kept my ways, but have been partial in the law.

2:10 Have we not all one father? hath not one God created us? why do we deal treacherously every man against his brother, by profaning the covenant of our fathers?

2:11 Judah hath dealt treacherously, and an abomination is committed in Israel and in Jerusalem; for Judah hath profaned the holiness of the LORD which he loved, and hath married the daughter of a strange god.

2:12 The LORD will cut off the man that doeth this, the master and the scholar, out of the tabernacles of Jacob, and him that offereth an offering unto the LORD of hosts.

2:1 et nunc ad uos mandatum hoc o sacerdotes 2:2 si nolueritis audire et si nolueritis ponere super cor ut detis gloriam nomini meo ait Dominus exercituum mittam in uos egestatem et maledicam benedictionibus uestris et maledicam illis quoniam non posuistis super cor 2:3 ecce ego proiciam uobis brachium et dispergam super uultum uestrum stercus sollemnitatum uestrarum et adsumet uos secum 2:4 et scietis quia misi ad uos mandatum istud ut esset pactum meum cum Leui dicit Dominus exercituum 2:5 pactum meum fuit cum eo uitae et pacis et dedi ei timorem et timuit me et a facie nominis mei pauebat 2:6 lex ueritatis fuit in ore eius et iniquitas non est inuenta in labiis eius in pace et in aequitate ambulauit mecum et multos auertit ab iniquitate 2:7 labia enim sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore eius quia angelus Domini exercituum est 2:8 uos autem recessistis de uia et scandalizastis plurimos in lege irritum fecistis pactum Leui dicit Dominus exercituum 2:9 propter quod et ego dedi uos contemptibiles et humiles omnibus populis sicut non seruastis uias meas et accepistis faciem in lege 2:10 numquid non pater unus omnium nostrum numquid non Deus unus creauit nos quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum uiolans pactum patrum nostrorum 2:11 transgressus est Iuda et abominatio facta est in Israhel et in Hierusalem quia contaminauit Iudas sanctificationem Domini quam dilexit et habuit filiam dei alieni 2:12 disperdat Dominus uirum qui fecerit hoc magistrum et discipulum de tabernaculis Iacob et offerentem munus Domino

Prophetia Malachiae

exercituum 2:13 et hoc rursus fecistis operiebatis lacrimis altare Domini fletu et mugitu ita ut ultra non respiciam ad sacrificium nec accipiam placabile quid de manu uestra 2:14 et dixistis quam ob causam quia Dominus testificatus est inter te et uxorem pubertatis tuae quam tu despexisti et haec particeps tua et uxor foederis tui 2:15 nonne unus fecit et residuum spiritus eius est et quid unus quaerit nisi semen Dei custodite ergo spiritum uestrum et uxorem adulescentiae tuae noli despiciere 2:16 cum odio habueris dimitte dicit Dominus Deus Israhel operiet autem iniquitas uestimentum eius dicit Dominus exercituum custodite spiritum uestrum et nolite despiciere 2:17 laborare fecistis Dominum in sermonibus uestris et dixistis in quo eum fecimus laborare in eo cum diceretis omnis qui facit malum bonus est in conspectu Domini et tales ei placent aut certe ubi est Deus iudicii

3:1 ecce ego mittam angelum meum et praeparabit uiam ante faciem meam et statim ueniet ad templum suum dominator quem uos quaeritis et angelus testamenti quem uos uultis ecce uenit dicit Dominus exercituum 3:2 et quis poterit cogitare diem aduentus eius et quis stabit ad uidendum eum ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum 3:3 et sedebit conflans et emundans argentum et purgabit filios Leui et colabit eos quasi aurum et quasi argentum et erunt Domino offerentes sacrificia in iustitia 3:4 et placebit Domino sacrificium Iuda et Hierusalem sicut dies saeculi et sicut anni antiqui 3:5 et accedam ad uos in iudicio et ero testis uelox maleficis et adulteris et periuris et qui calumniantur mercedem mercennarii uiduas et pupillos et opprimunt peregrinum nec timuerunt me dicit Dominus exercituum 3:6 ego enim Dominus et non mutor et uos filii Iacob non estis consumpti 3:7 a diebus enim patrum uestrorum recessistis a legitimis meis et non custodistis reuertimini ad me et reuertar ad uos dicit Dominus exercituum et dixistis in quo re-

2:13 And this have ye done again, covering the altar of the LORD with tears, with weeping, and with crying out, insomuch that he regardeth not the offering any more, or receiveth it with good will at your hand.

2:14 Yet ye say, Wherefore? Because the LORD hath been witness between thee and the wife of thy youth, against whom thou hast dealt treacherously: yet is she thy companion, and the wife of thy covenant.

2:15 And did not he make one? Yet had he the residue of the spirit. And wherefore one? That he might seek a godly seed. Therefore take heed to your spirit, and let none deal treacherously against the wife of thy youth.

2:16 For the LORD, the God of Israel, saith that he hateth putting away: for one covereth violence with his garment, saith the LORD of hosts: therefore take heed to your spirit, that ye deal not treacherously.

2:17 Ye have wearied the LORD with your words. Yet ye say, Wherein have we wearied him? When ye say, Every one that doeth evil is good in the sight of the LORD, and he delighteth in them; or, Where is the God of judgment?

3:1 Behold, I will send my messenger, and he shall prepare the way before me: and the LORD, whom ye seek, shall suddenly come to his temple, even the messenger of the covenant, whom ye delight in: behold, he shall come, saith the LORD of hosts.

3:2 But who may abide the day of his coming? and who shall stand when he appeareth? for he is like a refiner's fire, and like fullers' soap:

3:3 And he shall sit as a refiner and purifier of silver: and he shall purify the sons of Levi, and purge them as gold and silver, that they may offer unto the LORD an offering in righteousness.

3:4 Then shall the offering of Judah and Jerusalem be pleasant unto the LORD, as in the days of old, and as in former years.

3:5 And I will come near to you to judgment; and I will be a swift witness against the sorcerers, and against the adulterers, and against false swearers, and against those that oppress the hireling in his wages, the widow, and the fatherless, and that turn aside the stranger from his right, and fear not me, saith the LORD of hosts.

3:6 For I am the LORD, I change not; therefore ye sons of Jacob are not consumed.

3:7 Even from the days of your fathers ye are gone away from mine ordinances, and have not kept them. Return unto me, and I will return unto you, saith the LORD of hosts. But ye said, Wherein shall we return?

Biblia Sacra Vulgata

3:8 Will a man rob God? Yet ye have robbed me. But ye say, Wherein have we robbed thee? In tithes and offerings.

3:9 Ye are cursed with a curse: for ye have robbed me, even this whole nation.

3:10 Bring ye all the tithes into the storehouse, that there may be meat in mine house, and prove me now herewith, saith the LORD of hosts, if I will not open you the windows of heaven, and pour you out a blessing, that there shall not be room enough to receive it.

3:11 And I will rebuke the devourer for your sakes, and he shall not destroy the fruits of your ground; neither shall your vine cast her fruit before the time in the field, saith the LORD of hosts.

3:12 And all nations shall call you blessed: for ye shall be a delightful land, saith the LORD of hosts.

3:13 Your words have been stout against me, saith the LORD. Yet ye say, What have we spoken so much against thee?

3:14 Ye have said, It is vain to serve God: and what profit is it that we have kept his ordinance, and that we have walked mournfully before the LORD of hosts?

3:15 And now we call the proud happy; yea, they that work wickedness are set up; yea, they that tempt God are even delivered.

3:16 Then they that feared the LORD spake often one to another: and the LORD hearkened, and heard it, and a book of remembrance was written before him for them that feared the LORD, and that thought upon his name.

3:17 And they shall be mine, saith the LORD of hosts, in that day when I make up my jewels; and I will spare them, as a man spareth his own son that serveth him.

3:18 Then shall ye return, and discern between the righteous and the wicked, between him that serveth God and him that serveth him not.

4:1 For, behold, the day cometh, that shall burn as an oven; and all the proud, yea, and all that do wickedly, shall be stubble: and the day that cometh shall burn them up, saith the LORD of hosts, that it shall leave them neither root nor branch.

4:2 But unto you that fear my name shall the Sun of righteousness arise with healing in his wings; and ye shall go forth, and grow up as calves of the stall.

4:3 And ye shall tread down the wicked: for they shall be ashes under the soles of your feet in the day that I shall do this, saith the LORD of hosts.

4:4 Remember ye the law of Moses my servant, which I commanded unto him in Horeb for all Israel, with the statutes and judgments.

uertemur 3:8 si adfiget homo Deum quia uos configitis me et dixistis in quo confiximus te in decimis et in primitiuis 3:9 et in penuria uos maledicti estis et me uos configitis gens tota 3:10 inferte omnem decimam in horreum et sit cibus in domo mea et probate me super hoc dicit Dominus si non aperuero uobis cataractas caeli et effudero uobis benedictionem usque ad abundantiam 3:11 et increpabo pro uobis deuorantem et non corrumpet fructum terrae uestrae nec erit sterilis uinea in agro dicit Dominus exercituum 3:12 et beatos uos dicent omnes gentes eritis enim uos terra desiderabilis dicit Dominus exercituum 3:13 inualuerunt super me uerba uestra dicit Dominus 3:14 et dixistis quid locuti sumus contra te dixistis uanus est qui seruit Deo et quod emolumentum quia custodiimus praecepta eius et quia ambulauimus tristes coram Domino exercituum 3:15 ergo nunc beatos dicimus arrogantes siquidem aedificati sunt facientes impietatem et temptauerunt Deum et salui facti sunt 3:16 tunc locuti sunt timentes Deum unusquisque cum proximo suo et attendit Dominus et audiuit et scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum et cogitantibus nomen eius 3:17 et erunt mihi ait Dominus exercituum in die qua ego facio in peculium et parcam eis sicut parcit uir filio suo seruienti sibi 3:18 et conuertemini et uidebitis quid sit inter iustum et impium et inter seruientem Deo et non seruientem ei

4:1 ecce enim dies ueniet succensa quasi caminus et erunt omnes superbi et omnes facientes impietatem stipula et inflammabit eos dies ueniens dicit Dominus exercituum quae non relinquet eis radicem et germen 4:2 et orietur uobis timentibus nomen meum sol iustitiae et sanitas in pinnis eius et egrediemini et salietis sicut uituli de armento 4:3 et calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum uestrorum in die qua ego facio dicit Dominus exercituum 4:4 memen-

Prophetia Malachiae

tote legis Mosi serui mei quam mandauit ei in Choreb ad omnem Israhel praecepta et iudicia 4:5 ecce ego mittam uobis Heliam prophetam antequam ueniat dies Domini magnus et horribilis 4:6 et conuertet cor patrum ad filios et cor filiorum ad patres eorum ne forte ueniam et percutiam terram anathemate

4:5 Behold, I will send you Elijah the prophet before the coming of the great and dreadful day of the LORD:

4:6 And he shall turn the heart of the fathers to the children, and the heart of the children to their fathers, lest I come and smite the earth with a curse.

Biblia Sacra Vulgata
